

11+12/81

KALENDIS DECEMBRIBVS

MCMLXXXI

VARIVS
TOR VARIVS I
VMOR VARIVS F
RVMOR VARIVS F

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
TOR VARIVS
A DIVC

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE
LATINA TVRICENSI in aedi-
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis:
(annuum)

In Helvetia	Fr. 12.--
In Germania	DM 16.--
In Austria	öS 120.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 18.--
In terris trans	
maria sitis	US\$ 12.--

Singula specimina qui
rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulricus Aeschlimann
Martinus Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda
sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS
unter dem Patronat der AKAD
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis:
(jährlich)

Schweiz	Fr. 12.--
Deutschland	DM 16.--
Oesterreich	öS 120.--
übriges Europa	Fr. 18.--
Uebersee	US\$ 12.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulricus Aeschlimann
Martin Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Cari legentes

Brevi tantum spatio a fine anni separamur. RVMOR
VARIVS anno adventuro MCMLXXXII iam quintum annum vi-
gebit: Pridie Kalendas Martias MCMLXXVIII primus fas-
ciculus editus est; novissimus iam XXXII libellus est!
Ubi hodie sunt, qui tum, cum primi commentarii titulo
RVMOR VARIVS inscripti apparuissent, praedicebant:
"Breve tantum spatium temporis isti commentarii vige-
bunt; morientur, simulac primae edendi difficultates
ortae erunt!"? Profecto, cari amici, domus editoria
RVMOR VARIVS annis praeteritis difficultatibus singu-
lorum fasciculorum edendorum non carebat; tamen RVMOR
VARIVS adhuc semper viget, floret, crescit. Iuvat nos
intellegere illos, qui olim RVMORI VARIO tale triste
fatum praedixissent, vates falsos fuisse. Quid hoc cla-
rius demonstrare possit quam numerus semper maior eo-
rum, qui in terris paene totius orbis terrarum habi-
tantes altero quoque mense novum RVMOREM VARIVM legen-
dum exspectant? Qua de fortuna nostri libelli vos,
cari legentes, optime meriti estis, qui nobis semper
ratas partes Latine compositas publicandas mittitis!
Itaque gratias maximas vobis ago et toti collegio re-
dactorum, qui idem faciunt!

Quid novi in hoc libello invenietis? Necesse est eum -
cum dies natalis Christi mox aderit - non modo profana,
sed etiam ad diem natalem Christi celebrandum idonea
continere:

Huic praesenti fasciculo insunt inter cetera tria carmina natalicia gentibus cultu Germanico Europaeis notissima ab amico nostro Martino Meier in Latinum conversa. Medio in libello insertae sunt quattuor paginae, quae - ut reliquae paginae libelli - profanas res tractant: Prospectant vocabularium imaginibus illustratum in aedibus Artemis Turici editum, qui "ORBIS PICTVS LATINVS" inscribitur. Cuius auctor Prof. Dr. Hermann Koller Turici in studiorum universitate et in gymnasio veteres linguas docet. Censeo vocabularium eius maxime utile esse omnibus, qui, ut in prospectu ipso indicatur, "de lingua Latina discenda desperant aut eam discere coeperunt" ("...für alle, die mit ihrem Latein am Ende oder am Anfang sind"). Hic liber esset - ut e.g. RVMOR VARIVS alicui dono subnotatus - pulcherrimum donum alicui vestrum familiari die natali Christi dandum. Prospectui invenietis chartam adiunctam, qua ORBEM PICTUM LATINUM mandare poteritis.

In priore libello vobis epistulam ab Aquitaniam missam proposuimus. Qua seriem epistularum publicandarum coepimus, quam etiam in futurum in RVMORE VARIO continere velimus. Qua de causa hoc libello alteram epistulam divulgamus, quam nobis amicus noster Prof. Florindus Di Monaco ex oppido San Prisco ab Italia misit. Nostrorum legentium epistulas semper divulgabimus hac mente, ut saltem lectores, si velint, obsenquantur propositis lectorum factis. Exemplo sit illud propositum in RVMORE VARIO 9+10/81 (in pagina 420) ab Antonino et Genofeva Immè factum, ut inter lectores "ad Latinitatis cultum fructuosius provehendum studiumque ingeniose pervulgandum... et epistularum et taeniolarum magnetophonicarum assiduum geratur commercium"! Nos redactores hoc propositum optimum esse censemus; speramus fore, ut vos, cari lectores, eadem opinione adducti tale commercium inter vos incipiatis!

Quid dicam de ceteris carminibus in hoc fasciculo divulgatis? Ne vobis nimis loquax videar: Facite, ipsi legite, cari lectores; cuncta admirabilissime composita esse cognoscetis!

Ne amplius scribam, restat, ut felicem diem natalem Christi celebretis. Sit vobis novus annus MCMLXXXII bonus, felix, faustus fortunatusque! Valete!

U. Aeschlimann

Ulricus Aeschlimann

CVM DIES NATALIS CHRISTI MOX ADFVTVRVS SIT

hoc loco omnibus, qui, quid dono familiaribus dent, nesciant, proponimus:

Subnotate RVMOREM VARIVM amicis vestris linguae Latinae peritis dono dandum! Donum erit, quo donator sexies in annum ad memoriam donati revocabitur. Tale donum enim non tantum amicos linguae Latinae peritos, verum etiam eos delectabit, qui gloriosam linguam Romanorum discere velint.

Collegium redactorum

De itinere maritimo nuper facto

Coniunx, corculum meum, ut iam prioribus libellis narravi, summopere gaudet itineribus in longinquas terras factis totoque anno de proximis feriis itineribusque somniat novasque terras novaque loca mihi proponit, quae visitanda sint. Itinera omnia ei placent quam longinquissima sive automobili sive aëroplano sive via ferrata facienda. At mihi, eheu, magis semper placet domi manere otiosum. Itaque factum est, ut feriis omnibus coniunx sola proficisceretur me domi remanente. Paulatim autem, annis tacito pede labentibus, me solum domi ferias agere absente coniuge taedebat unaque vel summum duabus hebdomadibus (Wochen) elapsis coniugem sequebar aëroplano vel via ferrata vel magna nave usus. Tandem me sine coniuge domi manere certis de causis nequire peritus hoc autumno proximo una cum illa profectus sum ad iter maritimum faciendum. Quo de itinere nunc sum narraturus: Erat vesper vel nox iam obscura, hora decima diei a.d. VII idus octobres, cum Turici automobile grande (Autocar) escendimus urbem Venetiam petitori. Automobile illud plenum erat viatoribus totamque noctem continuo vecti sub primam horam tandem diei Saturni ad oppidum nomine "Mestre" prope Venetiam situm advenimus, paene exhausti labore vigiliarum; namque ob sermones convectorum (Mitreisende) uno tenore garrientium fieri non potuit, ut caperemus somnum. Neque ea sola de causa dormire non poteramus, sed etiam propter sedias nimis angustas, ad

commode dormiendum ineptas. Quam longum molestumque erat illud iter nocturnum! Sed tandem aliquando ad oppidum nomine "Mestre" advenimus ibique ientaculo habito restaurati alacrioresque Venetiam vecti sumus, ubi diem totum libertas otiumque datum est ambulandi nobis circumeuntibus aedificia aliaque visu digna nonnulla. Et visitavimus plateam Marci (Markusplatz), ubi innumerabiles columbas viatoresque vidimus miratique sumus ecclesiam aliorumque aedificiorum architecturam, inde Pontem Gemituum, quem dicunt, (Seufzerbrücke), et canales pervecti sumus nave usi cubiculata thalamego (Gondel), ducis omnia nobis interpretantis verba audientes. Mirati sumus primum visam urbem antiquam, famosam, sed magis magisque aquis submersam, neque facere poteramus, quin exclamaremus: "Oh Venetiam dominam, quae quondam fueris maris mediterranei, quam alte corruisti! Quam acerbe nos mones de caducitate fortunae! Pulchra es et venerabilis adhuc, at "Memento mori" nos doces. Domina fuisti, serva nunc es eorum, qui te visitant!"

Quinta tandem post meridiem hora navem magnam conscendimus oppidum "Dubrovnik" petituram. Quam rem mihi novam! Numquam antea navem tam altam magnamque videram. Quantaque erat in illa multitudo viatorum, et virorum et feminarum, quin etiam liberorum!

Iam nox advenerat mari tranquillo, cum in vasta cenatione (Speisesaal) ad cenam fruendam adsedimus. Incredibile dictu, quam sumptuosa, magnifica, vasta fuerit cenatio illa! "Sumusne in navi?" interrogabam tacitus me ipsum. Potestne fieri, ut navis capiat cenationem tam amplam?

- Quot viatores! Quantam luxuriam! Quam iucundam vitam! Et postea: "Quam bonam cenam!" Exquisita urbanitate servi nos serviebant. Servi? - Servi non erant, sed pueri cauponii, ut ita dicam, urbanissimi, animum nostrum delectantes.

Dum leniter vacillat navis machinaeque navem propellentes obtuse fremunt, iucunde cenabamus, nec muti ut animalia stomachos implentia, sed laeti colloquentes cum mensae sociis nuper notis. Non omnes quidem felices laetique erant. Erant, qui nausea laborarent exirentque ad vomitandum foras. At nos minus molles, optima valetudine utebamus.

Dum circumspicio mensasque proxime sitas inspicio, de improvise hominem conspicio notum, qui mihi esse videtur. Pro Iuppiter! Illudor! Fieri non potest! "Gilsii", sodalis meus qui fuit viginti annis ante? Quem casum! Surgo, accedo ad eius mensam, exclamo: "Tunc hic, mi Gilsii?" Et ille surgit obstupefactus: "Tunc hic? Quem casum fortunatum!" Fingite, cari legentes, inter tot viatores hominesque veterem amicum invenisse, quantopere gavisi simus! Cum illo Gilsii multis annis ante cottidie una eram in Thermpolio "Select" Turici. Latrunculis ludebamus (Schach spielen), Sermocinabamur, philosophabamur de Deo mundoque iuvenestum, qui eramus, tempora futura gloriosaque nobis sperantes. Gloriosus nunc ille factus est Gilsii meus inter a, ego minime, attamen non despiciebat me minorem, sed memor temporum elapsorum intimo e corde laetus me amplexus est, quin etiam basiati sumus. Fingite beatitudinem nostram! Ostendit mihi coniugem suam, quam adhuc ignoveram. Gilsii

quoque ut ego cum coniuge primum iter in Graeciam faciebat. "Quid tibi hic?" iocose quaesivit. Et ego: "Primum in Graeciam profecturus sum." - "Primum? Tu philologus scriptorum Graecorum peritus primum in Graeciam? Quam ignominiam! Minime!" Et ego: "Primum." Et ille: "Ne Acropolim quidem Athenarum antea visitasti?" - "Ne Acropolim quidem" dixi. "Sat mihi erat in imaginibus et pelliculis cinematographicis eam videre. Litteris unis semper contentum me fuisse ignoras? Res in natura visas videre animus mihi erat numquam." - "Litteris unis te contentum semper fuisse non ignoro attamen gratulor tibi, quod consilium tandem cepisti Graeciae videndae." - "Consilium meum non fuit, sed coniugis. Ego tantum insequor, comitor eam." - "Laudo consilium coniugis tuae, cum tandem occasionem mihi tui iterum conveniendi dederit." Quibus verbis aliisque plurimis laeti sermocinantes una eramus, sua quisque cum coniuge, usque ad multam noctem. Lassi tandem memoriam iuventutis evocandi cubiculum navale petivimus, suum quisque videlicet. Nostrum erat cubiculum situm in summo tabulato navis, instructum, ut ita dicam, fenestra quadrata satis magna. Quam fenestram aperuimus, ita ut aura pura maris afflaremur per noctem totam et tam bene dormiremus quam domi fortasse numquam, quamvis vehementer fremerent machinae navem propellentes navisque vacillaret ipsa. Postridie mane stomacho latrante incitati ad ientaculum habendum properavimus. Quo habito quid ageremus, dubitabamus. Quomodo tempus fallere possunt iter maritimum facientes? Putatisne otium nimis molestum esse nec scire viatores, quo eant quidve agant ad fallendum tempus? Erratis ita iudicantes, cari legentes. Etenim obveniunt res multae

nave proficiscentibus iucundae maximeque delectantes. Iam mane, vix ientati, cum serenus est Iuppiter (et, Deo gratias, tum semper erat serenus), in tabulato (Deck) apricari (sich sonnen) commode licebat iacentibus in magnis sedibus, mare motum mirantibus et litora in conspectum venientia vel greges delphinorum investigantibus et, cum nec litora nec delphini apparent, nos iuvat spectare conviatores, puellas pulchras imprimis, ita ut taedium nullum umquam oriatur. Tali modo me quidem per horas in tabulato apricari nihil pigebat, et cum stomachus latrabat, tempus cenandi iam aderat: descendebamus in cenationem vel in triclinium (ut Romani dicebant), ubi cena copiosissima et suavissima praebebatur. Post cenam lassus licebat in cubiculum ire somnum capturis vel iterum in tabulato apricari. Libertas ergo summa est omnibus agendi, quod quisque desideret neque cuiquam quicquam curandum est, nave tranquille navigante cursu certo, nullo periculo, maximam securitatem nobis praebente; etenim navis tam magna fluctibus nullis maris terretur. Nonne putatis, cari legentes, iucundissimum esse viatoribus, per aliquot dies incuriosis, sine ulla cura dies agere? Ego quidem confiteor summopere me itinere gavisum esse. Altera ex parte negandum non est nimium cibum et nimiam potationem damno mihi et obesitati fuisse, ita ut domum reversus tribus chilogrammis pondus meum maius fuerit, quod pondus nunc cibo abstinendo minuere difficillimum sit.

Postero die navis appulsa est ad oppidum nomine Dubrovnik, situm in Dalmatia pulcherrimumque visu, ubi per horas quattuor ambulavimus nonnulla spectantes, quae, ut viserentur,

digna viderentur. Quo de oppido restat, ut vobis narrem et de ceteris postea locis visitatis, scilicet de Corfu, quam antiqui Cercyram nominabant, de urbe Heraclio in insula Creta sita, de Epheso, in Asia Minore sita, de insula Mycono, de portu Piraeo, de Athenis, de reditu denique in portum Venetiae et in patriam. Quae omnia referam libello, qui mense Februario edetur, si vobis libebit.

Dr. Emanuel Bernard



SOLVTIONES AENIGMATIS,
 QVOD VOBIS IN RVMORE
 VARIO 9+10/81 PROPO-
 SVIMVS, HIC DEMONSTRAN-
 TVR:

T	I	M	E	O
I	N	E	R	S
M	E	R	A	S
E	R	A	N	A
O	S	S	A	M



Aenigma

QUO PRAEMIUM ACCIPI POTEST! QUODQUE AENIGMA RECTE SOLUTUM ET RUMORI VARIO MISSUM AD SORTEM REVOCABITUR! DIES ULTIMA KALENDIS IANUARIIS MCMLXXXII EST!

PRAEMIA SUNT: Primum praemium: Liber
Secundum praemium: Libellus
Tertium praemium: Libellus

ad libram:

- 1 persona bibliae sacrae (vetus testamentum)
- 6 deus Graecus
- 7 origo potionis, in qua veritas esse fertur
- 8 ceno
- 9 anni tempus
- 10 oriri
- 12 provincia Romana orientis imperii
- 14 flumen Galliae
- 16 pronomen personale
- 17 sociale

ad perpendicularum:

- 1 incola oppidi Italiae septentrionalis (Gen.)
- 2 locus Graeciae, ubi fanum Aesculapi dei fuit (Dat.)
- 3 probos
- 4 ad portam aperiendam vel claudendam apta
- 5 Titulum comoediae Terentii poetae (Dat.)
- 11 quae diligitur
- 13 meate
- 15 praepositio



ORBIS PICTUS LATINUS


Hermann Koller

Vocabularius imaginibus illustratus

Lateinisches Bildlexikon

Dictionnaire latin illustré
Illustrated Latin Dictionary

Dizionario latino illustrato
Diccionario latín ilustrado



Hermann Koller: Orbis pictus Latinus

224 Seiten (392 Spalten), mit über 750 Abbildungen. Format 17 x 24,5 cm.
Broschiert sFr. 28.50/DM 32,80, Leinen sFr. 39.50/DM 42,80


Latein visuell! Für alle, die mit ihrem Latein am Ende ...

Latein optisch! Latein lernen auf lateinisch, sein Latein auffrischen durch vergnügliche und informative lateinische Lektüre: das ist nun erstmals möglich mit diesem lexikographisch organisierten Band, der in über 550 Artikeln mit vielen Querverweisen und antiken Zitaten die Sprache und Kultur der Römer mit ihren Nachwirkungen bis in die Moderne vor dem Leser Revue passieren lässt. Über 2000 Begriffe werden in dieser Weise erschlossen: Begriffe aus der Welt der Anschauung zur Hauptsache – vom Bau des menschlichen Körpers bis zu den Säulenordnungen, vom Hausgerät bis zu den religiösen Gebräuchen und mythologischen Gestalten, vom Kriegswesen über die Geographie bis zum Essen und Trinken. Nach dem weisen Vorbild des „Orbis Pictus Sensualium Rerum“ (1658) des Amos Comenius ist der Band mit insgesamt über 750 Illustrationen ausgestattet: wo der Leser am Ende oder eher noch: am Anfang seines Lateins steht, hilft ihm das Bild weiter, wo ihm das Bild ein Rätsel aufgibt, nützen ihm seine Sprachkenntnisse. Dieser unmittelbaren Verbindung von Bild und Wort ist die Lebendigkeit dieses Bandes zu verdanken, bei dem es sich um das einzige greifbare Bildlexikon zur lateinischen Sprache und Begriffswelt handelt. Es versteht sich, dass dieses durchgehend lateinisch abgefasste Buch mit Lesern rund um die Erde rechnen kann, wo immer jemand Latein lernt: in China, im Vatikan, in den USA oder in der Sowjetunion.
Der Autor: Prof. Dr. Hermann Koller wirkt an einem Zürcher Gymnasium sowie als Privatdozent für klassische Philologie an der Universität Zürich.

... oder am Anfang sind!

habena –ae, f. (saepe: habenae, –arum)

habena est lorum freno (*frenum*) alligatum, quo equi reguntur.




opus caelatum Musaei Veronensis

hamus –i, m.

a) hamus est parvus uncus ferreus.
b) speciatim hamus est uncus ferreus, ex quo piscatores (*piscator*) escam suspendunt, quam dum captat, piscis ore capiatur.

Ovidius, Heroid. 18, 13:

„Nunc volucrem laqueo, nunc piscem ducitis hamo.“



hamus textorius

harundo –inis, f.

est aquaticus frutex in longam altitudinem crescens, cortice lignoso et inarescente, fissili, praeacutā semper acie. Harundinibus veteres usi sunt ad casas (*casa*) contegendas.

Vitruvius, 2, 1, 3:

„alii ... luteas glebas arefacientes struebant parietes (*paries*), vitandoque imbres (*imber*) et aestūs tegebant harundinibus et fronde.“

saepe etiam fistula pastoris harundo nominatur. harundine etiam *piscatores* pisces capiunt, ut videtur in imagine Pompeis inventā.



piscator

hebdomas –adis, f. (aut hebdomada –ae, f.)

a Graeco hebdomos = septimus. hebdomas est spatium septem dierum deis Planetarum dicatum.

**septimana = it. settimana, fr. semaine, hisp. semana.

series septem dierum hebdomadis haec est: Solis dies, Lunae dies, Martis dies, Mercurii dies, Iovis dies, Veneris dies, Saturni dies.



Lebendiges Latein für den Leser von heute mit:

- Jules Marouzeau: Aus dem Französischen von A. Lambert und H. Haffter.
Einführung ins Latein 236 Seiten, Leinen sFr. 24.80/DM 27,80
- Max et Moritz Puerorum facinora scurrilia septem enarrata fabellis quarum materiam repperit depinxitque Guilelmus Busch isdem versibus quibus auctor usus Latine reddidit Ervinus Steindl Carantanus. 104 Seiten, broschiert sFr. 8.50/DM 9,80
- Plautus in Comics Die Gespenstergeschichte (Mostellaria) mit dem lateinischen Text dargestellt von H. Oberst. 80 Seiten, broschiert sFr. 9.80/DM 9,80
- Plisch et Plum Versus iocosi Guilelmi Busch pictoris poetaeque de sermone Germanico in Latinum conversi auctore Ludovico Benning. 72 Seiten, broschiert sFr. 9.80/DM 9,80
- Veni vidi vici Geflügelte Worte aus dem Griechischen und Lateinischen, ausgewählt und erläutert von K. Bartels und L. Huber. 88 Seiten, broschiert sFr. 9.80/DM 11,-

Artemis Verlag

Ihre Buchhandlung:

8024 Zürich, Limmatquai 18
8000 München 40, Martiusstrasse 8

BESTELLSCHEIN

Ich/Wir bestelle(n) aus dem Artemis Verlag folgende Werke:

- _____ Ex. H. Koller: Orbis pictus Latinus, 224 Seiten, br sFr. 28.50/DM 32,80
_____ Ex. H. Koller: Orbis pictus Latinus, 224 Seiten, Ln sFr. 39.80/DM 42,80

Name, Vorname _____

Strasse _____

Plz., Ort _____

Datum, Unterschrift _____

Bitte ausschneiden und in frankiertem Couvert an Ihre Buchhandlung oder an eine der beiden Verlagsadressen senden.



1	2	3		4		5
6						
7						
8				9		
10			11			
			12		13	
14		15			16	
17						

Hoc aenigma composuit Daniel Weissmann.

EPISTULA AB ITALIA

Spectabilis Domus Editoria Rumor Varius,

ex recentibus libellis periodicis Rumoris Varii magnam voluptatem cepi cum legissem in praefatione Vos benigne exspectare ab omnibus legentibus ratas partes libello Vestro publicandas. Praeconium maxime delectavit me, iuvenem professorem Latinarum litterarum in Instituto ad magistros instituendos; animum enim relaxo iam aliquot annos carminibus modis variis Latine compositis. In nugis astricta oratione componendis naturam praecipue sequor et amorem.

Quod adhortatio Vestra dat mihi tandem aliquando occasionem ut opuscula mea, adhuc in oculis servata (propterea animo fractus sum), aperiam, maxime laetar. In praesentia ad Vos mitto sex exemplaria carminum meorum ut benevolentia Vestra eligat quod probetur. Ipsorum carminum, in quae nonnullis temporibus incubui, tria ad amorem maxime pertinent ("Plenilunii nox"; "Et amorem invenerunt"; "Ningit"); experimentum, cui titulus "Venetiae", versibus effert pulcherrimam Italicarum urbium. Anno praeterito primum vidi - tantum uno die: - mirificam terram Helveticam i.e. urbem cui nomen "Lausanne": valde admirabilitas locorum animum meum movit delectavitque et, domum cum rediissem, carmen composui in quo omnes mentis sensus conatus sum exprimere aptis verbis. Maxime spero rursus me quam primum videre ac diutius regionem Vestram Turicensem. Ineunte denique anno scripsi carmen in Vergilium, cuius hoc anno celebratur obitus MM.

Utcumque sententia Vestra de ipsis nugis ceciderit, iuvabit me cognoscere eandem.

Mihi autem liceat duo consilia Vobis praebere: alterum, ut augeatur numerus paginarum RUMORIS VA-

RUMORIS maiore argumentorum varietate; alterum, ut edantur in RUMORE VARIO nomina et inscriptiones lectorum (inter quos ego) qui ardentem cupiant amicitiam facere cum legentibus exterrarum gentium epistulis Latine scriptis: puto enim optatissimum ac maxime aestimandum consilium nos omnes, Latini sermonis studiosos - quaecumque civitas est - epistularum commercium invicem habere posse, cum sit prorsus haec, mea quidem sententia, ratio praesens, si volumus Romanorum sermonem tempore nostro feliciter vigere eundemque valenter adesse commercio inter gentes. Exemplum praebentes quod omnes Latini sermonis studiosi imitentur, incipiamus epistularum commercium inter nos qui commentarium Vestrum subnotavimus: mihi valde persuasum est consilium meum benigne acceptum iri apud Vos et omnes amicos qui Vestrum libellum legunt.

Confido aperto animo Vos iucunde accepturos esse experimenta mea et me adiuturum esse omni ratione ad varietatem argumentorum RUMORIS VARIII augendam

Vobis p.s.d. Prof. Florindo Di Monaco

Florindo Di Monaco

Domicilium meum: Prof. Florindo Di Monaco
Via Michele Monaco n. 152
81054 San Prisco (Caserta)
ITALIA

Scripsi in Campana regione pridie Non. Iul. anni
MCMLXXXI

Tria carmina natalicia

SANCTA NOX, PLACIDA NOX (Stille Nacht, heilige Nacht)

Sancta nox, placida nox:
dormiunt, sola mox
vigilabit familia
fida atque sanctissima
dormitante Iesu,
dormitante Iesu.

Sancta nox, placida nox:
angeli sonat vox
primis oves pascentibus,
sed tum cunctis hominibus:
"Ecce Christus soter,
ecce Christus soter!"

Sancta nox, placida nox:
filii Dei mox
ridet amor ex osculo,
dum salutis iam saeculo
sumus, Christe, per te,
sumus, Christe, per te!

O LAETIFICA, O GAUDENTIA (Oh, du fröhliche,
oh, du selige)

O laetifica, o gaudentia
natalicia (1) gratifera!
Mundus pravatus (2),
Christus est natus.
Gaude, gaude, Christianitas!

O laetifica, o gaudentia
natalicia gratifera!
Christus venturus ergänze: est
nos placaturus.
Gaude, gaude, Christianitas!

O laetifica, o gaudentia
natalicia gratifera!
Caeli legiones
clamant honores.
Gaude, gaude, Christianitas!

- 1) natalicia, -ium, n. Weihnachten
2) eigentlich: depravatus

Crevisse nuntiarunt
sarmentum parvulum
et veteres cantarunt
genus Isaicum
tulisse flosculum
brumali saeviente
ac noctu lepidum.

Quod memoro sarmentum
Iesaiam perlegens,
Maria incrementum
hoc tulit et candens:
Dei consilio
pepererat infantem
at manserat virgo!

Pastoribus dixere
divini milites
panniculis iacere
portantem mundi spes; spes = Acc.Pl.
in parvo stabulo
infantem invenere
imbuti gaudio!

Versionem horum trium carminum Latinam curavit
Martinus Meier.

UNDINA RHENANA

Die Lorelei

Textus Germanicus Iohannes Christianus Arrius

Modulus Henricus HEINE
Fridericus SILCHER,
Franciscus LISZT

Versio Latina A M I C U S

Ignoro, eheu, quid sit ratio,
Cur nunc tam maestus sum;
Priscarum aetatum narratio
Concutit animum.

Nox appetit et frigescit
Rhenusque fluctuat;
Mons summus belle nitescit,
Occasu scintillat.

Venustam supra puellam
Conspicor mirificam,
Decora splendent aurea,
Pectit crinem aureolam.

Pectit pectine aureo
Canitque canticum,
Id habet mirabilem, ého,
Ingentem et modulum.

Nauta in navicula parva
Saevum dolorem dolet,
Non spectat cautes et arva,
Non nisi sursum videt.

Nautamque scaphamque vorari
Mox credo fluctibus,
Et hoc fecit Loreleia
Permiris cantibus.

Trahit sua quemque voluptas

Placet mihi peregrinari. Feriis domesticis finibus numquam me teneo. Hac aestate per partes Raetiae Noricique quasdam iter feci. Regiones enim situ amoenae atque cerevisia optima mihi semper gaudium magnum afferunt. Cerevisiam - bene legistis, amici - in magnis deliciis habeo. Narratiuncula, quae sequitur, vobis autem cerevisiae pericula demonstrabit.

Iter faciens cum viatoribus compluribus advenio quodam die Castra Batava (Passau) urbem natura praeclaram, nam velut piscis aut hasta in trium fluminum aquas provolat. Duo flumina urbem amplectuntur: Danuvius, qui sane colore caeruleo non est, uti in saltatione quadam Vindobonensi dicitur, sed colore viridi et Aenus fluvius colore subflavo potius. Quibus fluminibus frater minoris staturae est, qui silvis Marcomannorum proveniens Danuvium influit nostraque aetate Ilz appellatur. Cuius color atramento simillimus est. Monstrator noster, cui iure nomen "Pulcher" (Herr Schön) est, summo e colle nominis "Veste Oberhaus" regionem totam nobis demonstrat, deinde nobiscum ad ripas descendit, copiose abundanterque de urbis monumentis loquitur. Ego autem aquis allicior, quae urbi speciem quandam Veneticam praebent. Conspicio in ripis nonnullos gubernatores naviculae, qui velut "gondolieri" Venetici peregrinos magnis clamoribus ad navigationem invitant. Oculos adicio cuidam nautae, qui comis flavis oculisque caeruleis in numero Nibelungorum eorum esse videtur, qui olim Danuvio naves devexerunt.

Vir mihi arridet, subrideo ego quoque. Pretio modico naviculam conscendo. Vir iam se parat me Aenum flumen transvehere. Comites mei itineris e ripa multis verbis cohortantur, ut quam primum revertar, clamantes: "Hodie quoque cursu automobilis alia loca petemus!" Libenter promitto et navigationis voluptatibus iam incumbo. Nauta multum loquitur, paulum navigat, saepe ridet, saepius ex ampulla magnis haustibus cerevisiam bibit. Mihi quoque poculum tendit. Tempus praeterit. Comites mei e ripa manus et ad caelum et ad naviculam porrigentes nos ad celerius navigandum incitant. Nauta celerius navigat, sed alteram ripam petit. Petit vero cauponam quandam cerevisiae bonitate praeclaram. Naviculam appellit, cauponam intrat. Ego autem poculo ornata in navicula maneo reditum eius exspectans. Nauta autem non redit. Comites in altera ripa relictii iam de salute mea desperant. Tandem nauta caupona exit ridens, cantans, titubans. Alterum poculum mihi tendit. Ego autem pavore occupata non iam sitio poculumque recuso. Ludibrium fortunae sane facta sum! Num me committam nautae isti ebrietate affecto? Res pessime se habet. Ecce autem fortuna me adiuvat. Nautam alium conspicio caupona eadem exeuntem, sed sobrium. Cuius auxilium imploro. Subridet quoque, nam gens eius moribus amabilibus est, nautamque ebrium in cauponam remittit. Naviculam remis concitat, paulo post ripam alteram attingit. Me salvam comitibus mandat. Iam proficiscimur Noricum petentes. Posteris diebus autem non iam cerevisiam, sed vinum bibi.

Barbara Maier

IN VERGILIUM DUM HOC ANNO MCMLXXXI OBITUS EIUS MM SOLLEMNITER UBIQUE CELEBRATUR

Metrum sapphicum

Sónnií vatém volucrisque férrí
saeculórum póns hederis opácus
té verécundum mihi iungit aevi
fálsa cavénti.

Vére flórenti quotiéns virécta
miror ét vultú renováta sólis
rúra firmam spém tribuunt futúri
méntibus aégris

ac cor angens lusciniáe suávis
ét cuculorum sonus árva cómplens
múlcet aures sic animúm vigére
sentio agréstem.

Magna quae ólim numinibús secúndis
gessit Aeneás Latium triumphans
Iúliae et fontém subolis sacrásti
vérsibus édens.

Quid iuvent omnes pietás fidésque
ét pudór monstrás, lacrimas acérbi
cúm probis casus pariánt sinistra
fata sequéntes.

Mantuae campis viduum serénis
mite Tyrrhenum mare té vocávit
antequam clarum releváret Urbis
vita beáta.

Ossa si nudum recipit sepúlcrum,
ómne, Vergili, memorabit aevum
té Latinorum fidibus canéntem
arte supérna.

Florindo Di Monaco

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
DONO DATVM ALICVI
Factura subnotationis mit-
tenda est ad adressam infra
stantem.
(ich abonniere RVMOR VARIVS
mit Rechnung an:)

für


Datum und Unterschrift:

RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich

HIC SOLVTIONEM INSCRIBE
ET CHARTAM MITTE !

DOMICILIVM MEVM :



RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

11+12/81

KALENDIS DECEMBRIBVS

MCMLXXXI



RVMOR VARIVS



IN VERGILIUM DUM HOC ANNO MCMLXXXI OBITUS EIUS MM SOLLEMNITER UBIQUE CELEBRATUR

Metrum sapphicum

Sómnii vatém volucrisque férrí
saéculórum póns hederis opácus
té verécundúm mihi iungit aévi
fálsa cavénti.

Vére flórenti quotiéns virécta
miror ét vultú renováta sólis
rúra firmam spém tribuúnt futúri
méntibus aégris

ac cor ángens lusciniáe suávis
ét cuculórum sonus árva complens
múlcet aures sic animúm vigére
sentio agréstem.

Mágná quae ólim núminibus secúndis
géssit Aenéas Latium triúmphantis
Iúliae ét fontém subolis sacrásti
vérsibus édens.

Quid iuvent omnes pietás fidésque
ét pudor monstrás, lacrimas acérbi
cúm probis casus pariánt sinistra
fata sequétes.

Mantuae campis viduum serénis
mite Tyrrenum mare te vocávit
antequam clarum releváret Urbis
vita beata.

Ossa si nudum recipit sepúlcrum,
omne, Vergili, memorabit aevum
te Latinorum fidibus canentem
arte superna.

Florindo Di Monaco